

Simoniana hydra & hæresis & à se ipsa diuellii, quū ex eadem schola profecti Saturninus & Basilides, in diuersas tamen sententias de iisdem rebus iuerint, & se ex eodem fonte in duo fœdissima diuertia diduxerint. Quod monere fuit necesse, ne quis hīc ab Augustino seriem temporum temerè immutatam, aut ignoranter perturbatam existimet. Saturninus autem ab Epiphanio & Theodoreto Saturnilus semper appellatur: à Tertulliano tamen, Eusebio, & Irenæo Saturninus, vnde Saturniani, vel Saturniniani, non Saturniniliansi dicti. Cœpit innotescere temporibus Adriani imperatoris, cum eiusdem blasphemiae socio Basiliide, circa annum imperii Adriani xv. à Christo autem passo cœtesimum, cum Barcochaba quidam Iudæus, homo seditiosus, in Syria rauissimè Christianos iam afflixisset, & dux suæ genti fuisset, atque incentiuum ad corripienda contra Romanos arma. Vnde totius Iudaicæ gentis penè internecio accidit, certè inde cōtigit ea dissipatio & dispalatio per vniuersas orbis regiones, in qua nunc miserrima versatur. Fuit autem Antiochenus Saturninus, qui ita cū Basiliide officia partitus est, vt ipse in Syria venenum suū efflaret, & eo Syros, homines leues, imbueret, Basilides autem illud in Ægypto spargeret, & viciniis regionibus, vbi iam superstitionum quædam fundamenta iaciebantur, quæ postea confirmata sunt. Duravit autē hæresis Saturninianorū & Basiliianorū aliquo tēpore, & viguit donec nouis Valentianorū, qui subtiliores habiti sūt, deliriis & cōmētis exploderetur, ita nimirū sese mutuò cōfodiētibus hereticis iusto Dei iudicio, & extinguebibus. Quare Simonianorum pestis & hæresis prope sola